

**Glareanus, *Helvetiae descriptio* : Friburgum  
(cum commentario Myconii)**

Gentis Avantinae decus et suprema potestas  
Gloriaque illustris Francique procella Friburgum,  
Ausim num tenui laudes tibi fundere filo? 305  
Illotis manibus citharaque sonante ululatum?  
Sed iubar excellens, magnarum curia rerum,  
Parce humili plectro, belli memorabile fulmen  
Irascensque aries muris obiectaque moles  
Ordinibus volitansque hosti catapulta furenti. 310  
Sedula Bertoldi ducis alti cura Zeringi  
Te, velut Arctopolim, fatis foelicibus urbeis,  
Aedificarat, ubi hos squallenti viderat ora  
Collicolos, loca nascendis aptissima muris.

Apparatus criticus

**303** Avantinae *ed.* : Aventine *ms*

**304** Francique procella *ed.* : praedonum virga *ms*

**311** Bertoldi *ed.* : Berchtoldi *ms*

**314** collicolos *ed.* : colliculos *ms* / aptissima *éd.* : apta *ms*

Apparatus fontium

**303** Glareanus, *Ad spectatorem antiquitatis Aventicae... hexastichon*, 3, *Gentis Aventinae cecidit*

**304** Cic. *dom.* 137, *tu, procella patriae*

**305** Hor. *epist.* 2,1,225, *tenui deducta poemata filo*

**[Commentariolum Osvaldi Myconii in Glareani carmen]**

**Gentis.)** Friburgum nostrum idem Princeps condidit, qui et Arctopolim, situm est in ultima pene Helvetia occidentem versus, urbs munita non tam hominum operis quam natura loci. In montis enim radicem adsurgit, cui subest amnis Sana. Superne cacumine montis protegitur, in primis vero prudentium virorum consilio. In quibus tamen Falco eques auratus et maior hoc tempore Praefectus facile primas tenet, cuius equidem mentionem eo facio lubentius, quod et doctus est et eloquens quodque tam unice Glareanum nostrum amat, omnesque doctos, ut vel hinc liceat hominis coniiicere prudentiam.

**Aventinae.)** Friburgum Aventicum dicitur hac de causa, quod sit Aventini oppidi capitis olim (teste Cornel. Taci. in xvii.) Helvetiorum colonia. Eius et Ptole. li. ii. meminit.

**Procella.)** obstaculum contra Franciam.

**Illotis ma.)** Proverbialiter dictum in eos, qui vel audacius vel parum instructi rebus his, quibus oportuit, negocium invadunt.

**Curia.)** Appositio. Curia locus est, ubi senatus reipu. curam, a qua et nomen usurpat, gerit. Cicer. Extincto enim senatu deletisque iudiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus.

**Belli memora. ful.)** Ita Scipiones quoque duo belli fulmina ab Ennio nuncupantur.

**Irascensque Ari.)** Aries machina bellica, qua veteres muros diruebant. Tribuit rei inanimatae affectum, cum dicit irascens.

**Catapulta.)** Catapulta iaculum celere, vel sagitta secundum Nonium.

**Loca nascendis ap. mu.)** Locus enim is accommodatus urbibus extruendis, quem natura etiam ad tuendum formavit.